



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. An votum simplex continentiae, ab uno coniuge, cum licentia alterius, post matrimonium consummatum, vel ab utroque communi consensu emissum sit validum, & licitum; & ad quid obliget?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quod potuit facere, merito fecisse censetur; neque tamen exinde inferre licet, ergo etiam professio religiosa, quamvis non valeat in vim professionis religiosæ valebit tamen in vim simplicis voti religionis: Negatur enim hoc illatum, cum conjugatus durante matrimonio inhabilis sit ad tradendum se religioni (sive per professionem, sive per votum simplex hoc fiat) perpetuò suæ conjugati alligatus, à qua discedere non potest, sine illius consensu; ad petendum autem debitum, sicuti non tenetur, durante etiam matrimonio, ita per votum potest illam licentiam sibi adiungere, durante etiam matrimonio: quod si tamen uterque conjugum in religione profiteatur, non obtentâ mutuâ licentiâ, videtur valida utriusque professio, quia ipso facto censeri possunt licentiam sibi mutuò dedisse.

§. IV.

An professio conjugati facta, cum licentiâ alterius conjugis, per metum tamen, aut dolum obtentâ, sit valida, & an etiam, si sit facta, altero conjugis sciente, & tacente, ac dissimulante, teneat?

Respondetur primò nullam esse professionem, si licentiâ ad profitemdum ab altero conjugis per metum gravem & injustum, vel injustum dolum extorta sit. *Veniens 16. & c. accedens. 17. h. e. junct. Glossa V. votis*, ita ut taliter professus, voto quidem simplicis continentia obligetur, non tamen religiosâ professione, & si ad sæculum redire velit, post mortem suæ prioris conjugis, à qua licentiâ profitemdi taliter extorta fuit, aliud matrimonium (validè

faltem) contrahere possit, prout et dictis etiam jam patet. Cum enim professio debeat esse libera, & nihil debeat consequenter etiam ea, quæ ad talis professionem requiruntur, ut requiritur cessio hæc, sive licentiâ, libera esse debet (libertate debitâ) & absque dolo.

Secundò irritam quidem esse eam professionem mariti v. g. si uxor nec expressè in eam consensit, dando licentiam, neque positivè contradidit, nec repugnavit, sed tacuit, & dissimulavit (cum in tali casu valdè præjudiciali incertitudo non habeatur pro consensu) tamen semper, dum vixit, tacuit, & maritum non revocavit, validatur ex licentiâ probabili ipso facto talis professio, si postmodum uxor mortuatur, cum impedimentum validæ professionis, matrimonium scilicet, ablatum sit, & consuetudine 10. h. e. ex probabiliore tamen, non revocatur per solam conjugis mortem talis professio, sed requiritur novus profitemtis consensus, tacitè, vel expressè ratificans primam professionem, quæ scilicet esse nullam, cum solo tractu temporis, & per solam mortem uxoris professio prius invalida, non censetur revocari ob magnam professionis incertitudinem.

§. V.

An votum simplex continentia, à uno conjugis, cum licentiâ alterius, per matrimonium consummatum, vel à utroque communis consensu consummatum sit validum, & licitum, & ad quid obliget?

Validè & licitè hæc talia vota, vel à uno conjugis cum consensu alterius, vel

vel ex communi consensu ab utroque fieri posse (ita ut nec ad petendum, nec ad reddendum debitum sit obligatio votentis taliter) & quidem vel ad tempus, quo elapso ad matrimonialem thorum compelli possit, qui ad tempus voto continentie cum alterius licentia se obligavit, vel in perpetuum ex *c. Charisimus* 11. h. 2. habetur: quamvis enim in proprium præjudicium possit conjux sine consensu alterius voto continentie se obligare, ad non petendum debitum, non tamen potest sine consensu alterius votere etiam castitatem ad non reddendum cum præjudicio alterius.

§. VI.

An si conjuges, qui mutuo consensu continentiam voverunt, uterque vel alter eorum religionem profiteatur, possit unus alterum repetere seu revocare?

Respondetur negativè, prout sumitur ex *c. Dudum* 21. h. 2. cum enim per consensum datum ad votum continentie faciendum omni jure suo, quod ad matrimoniale commercium habent, conjuges, cesserint hi, qui licentiam ad votum dederunt, consequenter illicitè facerent, consensum justè, & piè datum, injustè revocando, si conjugem in tali casu profectum repeterent.

§. VII.

An si unus conjugum adulterium commisit, possit alter conjux innocens, licentia transire ad religionem, vel ordines sacros suscipere, etiam ad altero invito?

Possit maritum innocentem, si uxor illius adulterium commisit, quod

Compend. Pirking.

in foro externo notorium est, aut propter quod sententia divortij legitime lata fuit, etiam invitâ hac, ad religionem transire, & in ea profiteri, absque eo, ut revocari ab uxore sua adultera possit ex *c. consuetus* 15. & ex *c. Veniens* 16. h. 2. patet, ex quibus textibus etiam patet, quod ad ordines sacros maritus talis, in casu adulterij talis ab uxore commissi, hac invitâ transire possit, si nihil aliud obstat, cum talis adultera omne jus suum, quod in maritum habebat, in ordine ad matrimonialem thorum, amisserit: & quamvis etiam conjux adulter, si innocens statum mutavit, & in religione v. g. professus est, ad religionem transire possit, sine alia licentia expressa, ab innocente obtenta, cum per professionem ab innocente susceptam sufficientem licentiam dedisse conjugi adulteræ ad religionem transeundi merito ceteri possit, non potest tamen etiam post divortium celebratum ad religionem transire adultera, sine expressa, vel tacita licentia innocentis, ut ne innocens sine consensu suo, jure suo reconciliandi sibi, si velit etiam post divortium adulteram, privetur; & si licentiam huic de professione in religione dedit innocens, non tenetur hic vel ad religionem transire, vel votum continentie facere in sæculo, cum ea, quæ circa has obligationes statuuntur in jure, statuuntur in casu matrimonij integri, & non propter adulterium (quoad thorum saltem) dissoluti.

¶(o)¶

ffff

§. VIII.